



steht in dem lat. ringelzug

Jus Crim. 2985, - 99

2

DE
EFFECTV INFITIATIONIS SVB
TORMENTIS IN CONVICTO

P R A E L V S I O

Q V A

DOCTISSIMO CANDIDATO

AVGVSTO SEBASTIANO

SEMBACHIO

COBURG. FRANCO

SVPREMI IN VTROQVE IVRE HONORES

D. XXIV. SEPT. A. C. MDCCLXXII.

TRIBVENDI

A

PROCANCELLARIO

HENRICO GODOFREDO BAVERO

INDICANTVR.

EFFECTIV INVENTIONIS SVB
TORRENTINO CONMOTO

P R A E T U R A

DOCTISSIMO CANDIDATO

AVGVSTO SEBASTIANO

SEMBACHIO

COURT. HANNOVER
SYSTEM IN TERRORE HONORIS

DOCT. SEB. A. CANDIDAT.

ALRIH. H. U. E.

PROGAMMCELLARIO

HENRICO GODEFRIDO BAWERO

LEIPZIG 1774

VERLAG DER BUCHHANDLUNG

1774



B. C. D.



In Dissertatione, de Modo torturae secundum leges habendo, quam Doctissimus autor, me ipso moderante propediem tuebitur, legisse memini tractationem, de reo, qui de scelere convictus confiteri recuset, dammando, non torquendo. Quam quum perlegerem, quia in hac Panegyri munere Procancellarii simul fungor, statim venit

in mentem, meditari super effectis tormentorum, quibus conuicto extorqueri confessio non potuerit, et quid mihi videatur, breuiter exponere. Commendabat se mihi haec res propter causarum cognationem tantopere, vt, quanquam de alia re dicere erat propositum, consilium mutarem.

Videor autem mihi secernere debere conuictionem, quae antegreditur torturam, quaeque eam sequitur. Hanc, nihil impredientibus, quae reus perpessus fuerit, tormentis, poenam sceleri in iure statutam operari, omnino non est, cur dubitemus. Quodsi enim tortura ab accusatione vel inquisitione absolutionem adeo efficeret, vt, post habita probatione luce meridiana clariore, innocens haberetur reus, quo inquam tenderet, quod in Iure nostro de torturae repetitione scriptum legimus. Et inter *ineditas Sax. Electoral. Constitt. IXna* propter indicia post superatos tormentorum cruciatus noua emergentia eos in iudicio atrocis delicti semel, atrocissimi bis iterare iubet. Qualia, et quam graua esse debeant illa noua indicia tradit MICH. HENR. GRIBNER in *Dissert. d. Repetit. Tormentor. §. IX. seqq.* simulque summo iure virgula censoria notat sententiam *Scabinor.*

Lipsiens. a CARPZOV. Pr. Crim. qu. CXXV. n. 78. exhibitam,
 insigne documentum crassae superstitionis, qua se maiores no-
 stri capi patiebantur. Quippe ream tormenta perpeffam pro-
 pterea, quod sit credibile, diabolum ipsi auxiliatum fuisse, rele-
 gatione puniendam iudicarunt. En verba mouentia risum:
Sie wird aber gestalten Sachen nach, weil gleichwohl vermuthlichen,
dass es ihr der Vettel vom Teufel muss angethan seyn worden, dass
durch die Pein und Marter von ihr nunmehr nichts hatbracht wer-
den können, und damit man ihr aus diesem Lande loss werde, und
die Leuthe zu Grillenberg für sie weiter nichts zu befahren, des
Landes ewig billig verwiesen. Igitur leges tortum ex nouis, iis-
que a pristinis diuersis et grauioribus, indiciis iterum torqueri
volunt, vt confiteatur, et confessus mortem obeat. Non pot-
est non conuictio idem efficere, quod diserte statuit Nemesis
Carol. art. IX. verbis; wollte aber ein solcher Gefangener der ver-
dachten Missethat ohne oder durch peinliche Frage nichts bekändtlich
seyn, und er doch desselben überwiesen werden möchte, so soll es etc.

Contra si conuictus non, prout *Art. LXIX. Nemes. Carol.*
 iubet, poenae promeritae, verum, contra ius, tortori traditus in-
 fitiari pergit, res non aequae expedita est. Interpretes, vti

apud CARPZOV. *Pr. Crim. Qu. CXXV. msm. 17. seqq.* legimus, in tres diuersas abeunt partes, aliis reum, ac si torturam non fuisset perpeffus, damnantibus, absoluentibus aliis, aliis denique mitius in eum animaduertentibus. Nec destituitur vlla harum sententiarum argumentis adeo grauibus, vt, si omnia nobiscum reputamus, ponderamus, et inuicem trutinamus, quibus accedere debeamus, tanquam grauissimis, facile anticipes haereamus.

Qui reum damnant, his rationibus partim vtuntur, partim vti possunt. Torturam, nisi secundum leges fiat, nihil efficere. Per *Art. XX. O. C. C.* reum, qui vel ex nulla, vel ex leui, suspicione tormentis subiiciatur, quamuis se deliquisse fateatur, non esse puniendum, quia confessio haec, contra leges extorta, non habenda sit commissi sceleris probatio. Exin per inuersionem consequi, torturae perpeffionem non debere criminis comperto impunitatem praestare, quem tanta sciamus esse corporis duritia et patientia, vt ei veritas exprimi non possit. Torturam in iure haberi modum inquirendi veritatem. Hanc igitur si sciamus, non esse ad illam respiciendum, nec efficere amplius quic.

quicquam posse. Ac licet de scelere conuictus, post habitis tormentis, damnari debuerit, non posse miseratione dignum videri, qui ipsa infirmitate iniusta se talem praebuerit, qualis emendari non possit, quemque adeo e medio tolli, omnium debeat summopere interesse. Vt potius tormentorum patientia iustas contumaciae poenas luat, quae ab ultimo supplicio ob scelus ipsum subeundo liberare non valeant. Delicto rempublicam laedi, huic deberi poenae executionem, huic nec minui, nec auferri, ius quaesitum illegitimo iudicis facto posse. Nec esse, vt obiiciatur argumento ex *art. XX. O. C.* deprompto regula iuris, quae, quod in fauorem alicuius constitutum est, in eius odium retorquere vetat. Non enim minorem esse debere reipublicae fauorem ad tollendum hominem sceleratum, quam rei innocentis ad impetrandam liberationem. Eorum, qui hanc sententiam tuentur, agmen claudit *Illustris DE BOEHMER in Meditatt. ad C. C. C. art. LXIX. §. 3.*

Deinde, qui pro absoluendo reo certant, in eo veritatem inuenisse teste *CARPZOV. Pr. Crim. Qu. CXXV. num. 21.* sibi videntur, quod, qui sustineat torturam, probationem

contra

contra se omnem diluat atque propellat, esse enim efficacissimum inueniendae veritatis medium *l. 8. D. d. Quaest.* Cui accedit, iura esse proniora ad absoluendum, quam ad condemnandum. Quam ob rem, cui concessus sit actus, cuius is habeatur in iudicio effectus, vt, si confessionem pariat, pariat simul damnationem, sin minus, liberationem, tanquam eius, qui se innocentem euicerit, hanc praestandam esse eo magis videri, quod ipsa tormentorum oblatione intelligatur in euentum infitiationis promissa esse. Et quod de reipublicae fauore, cui non debeat illegitimo iudicis facto ius suum demerere, moneatur, si rem curatius perpendamus, propterea parum, vel nihil ponderis habere, quod Iudex, praesertim, si de inquisitorio Processu agatur, reipublicae partes sustineat, adeoque huic incumbat, stare promissione, facta a mandatario. Denique infitiationem accusati, ex naturali cuius ad sui conseruationem insito amore profectam, odio habendam non esse.

Horum sententiam CARPZOVIVS parum a veritate deflectere censet. Ipsi vero fatius videtur, agere herciscundum, atque cum iis sentire, qui neque omnino absoluendum, neque ordinaria poena plectendum esse, sed leuius admonendum,

reum

reum iudicant. Huius opinionis rationes has reddit, tormentis, quod illegitime fuerint adhibita, liberationis effectum tribui non posse, maxime, quod ipsae leges ea rem fragilem, periculosam, et, cui non omnino fides haberi debeat, agnoscant, *l. 1. §. 23. D. de Quaest. nec admittere reipublicae utilitatem, facinus probatum plane impunitum esse. Contra, ob corporis cruciatus, quos iniuste perpeffus fuerit reus, aequitatem exigere, ut de poenae ordinariae rigore quid remittamus, et leuius animaduertamus. Nec posse certam regulam, quam in dicenda poena sequi oporteat iudicem, tradi. Esse potius huius, secundum factorum, quae probata sint, caeterorumque argumentorum qualitatem, secum deliberare, quae dici debeat.*

Ego quanquam non probo, qui sibi propositam quaestionem, cuius certa constitui possunt principia, neque affirmare, neque negare, sed neutrum facere, malunt. Ut potius hoc vel ignavi, vel minus perspicacis, vel parum sibi con-

stantis, esse ducam: Tamen hoc etiam fateri debeo, hanc necessitatem, mediam quasi viam ingrediendi, ipsam iurisprudentiam criminalem vel per leges, vel per consuetudines receptas, nobis saepius imponere. Propterea iudico, ut rei omnino satisfiat, distingui debere inter iustitiam naturalem, atque civilem. Ad illam quod attinet, modo indubitata subsit conuictio, nequaquam dubito, iis accedere, qui, reum superatis tormentis poenam delicto statutam effugere non posse, autumant. Et existimo, hoc iure argumenta supra adducta rotam rem conficere. Si vero ad criminalem, qualis civilibus continetur legibus, respicimus, uti respicere debemus, iurisprudentiam, noua limitatione opus esse, censeo. Nimirum, ut videamus, iudex, sibi ipsi sapere visus, tortori reum criminis compertum subiecerit, an hoc, praeuia in id lata sententia, fecerit. Si prius, non ordinaria, sed leuiore quadam poena plectendum esse, sin posterius, omnino absoluendum. Idque propter duo, quae in iurisprudentia criminali indubitata habentur, principia. Quorum alterum infert, ut vitium

a Iudice in dirigendo Processu Criminali admissum, idemque reo importunum, poenae mitigationem efficiat. Alterum, quod vetat, a mitiore sententia recedere, durio remque pronunciare. Etenim quoniam haec torturae vis est, vt accusatum, si commississe se scelus fateatur, quod ex eo quaeritur, condemnandum sistat, sin confessionem sibi exprimi haud patiatur, nisi noua argumenta superueniant, praebeat innocentem, non potest non sententia, quae reum torquere iubet, simul in euentum, si tormenta sustinuerit, absoluere voluisse.

Iam debeo mentionem facere, qui hanc mihi obtulit scribendi opportunitatem, Candidati doctissimi et ornatissimi,

AUGUSTI SEBASTIANI
SEMBACHII

Natus is Coburgi d. XXVIII. Mart. MDCCL. patre
IOHANNE TOBIA, Serenissimo Duci Saxo-Gothano a con-

B 2

filiis

filiis et patrono causarum fisci, statuum Prouincialium Coburgensium syndico, nec non Illustris aulae, regiminisque, quod Coburgi est, aduocato, et matre SOPHIA MARIA, ex gente ESCHENBACHIORVM, vtrumque parentem sibi superstitem et pie colendum laetatur. Ab incunte aetate primis litterarum et religionis principiis a domesticis praeceptoribus informatus, postquam anno MDCCLXIII. interesse coeperat Casimiriano, quod Coburgi est, Paedagogio, breui tempore post in ciuium Illustris Gymnasii academici, quod ibidem floret, relatus est numerum. Ibique FISCHERI, FROMANNI, GRVNERI, CRAMERI, HARLESII, FEDERI, BERGERI, ALBRECHTI, BARTENSTEINI, et aliorum fidelissimas disciplinas et institutiones gratus praedicat. Et profitetur, se ab his non solum Christianae religionis litterarumque praecepta, sed Historiarum etiam, Sapientiae, Matheseos et Iurisprudentiae primas lineas accepisse. Vt bene instructus, anno huius Seculi LXVIII. in Academiam celeberrimam Georgiam Augustam

vbi

vbi a Magnifico AYRERO tum temporis Exprorectore die XI. Aprilis publicis inscriptus est tabulis, se conferre potuerit. Ibi BOEHMERVS et BECMANNI fratres Philosophiam et Iurisprudentiam ipsum docuerunt. Dein anno LXIX. ad nos accessit. Habuitque Philosophiae REITZIVM, Matheseos ZWANZIGERVUM, historiae Imperii BOEHMIVM h. t. Rectorem Magnificum, huiusque, et artis diplomaticae, nec non Iuris publici WENCKIVM, SAMMETIVM Iuris Naturae et Gentium, historiae iuris Romani et Germanici, Institutionum, Pandectarum, Iuris publici vniuersalis et Imperii R. G. vt et Clientelarum, BREVNINGIVM et SCHOTTIVM Iuris Germanici et Canonici, ZOLLERVUM denique Pandectarum, Iuris criminalis, Processus iudiciarii, et artis, conficiendi ex actis publicis relationes, praeceptores.

Me quoque primas iuris civilis lineas publice exponentem audiuisse testatur. Admissus ab ordine nostro d. XIV. Febr. huius anni ad examen, quod pro Candidatura vocatur, se

omnino, et prae caeteris, dignum praebuit, qui ad Baccalaurei iuris ac Notarii publici Caesarei dignitates, quas tum temporis a nobis petierat, eueheretur. Non minori cum laude d. XX. Maii stetit in Examine, quod appellari rigorosum fuit, ut communi suffragio videretur Doctoris titulo ex merito condecorandus.

Hunc, si prius die, qui instat, XXIII. Septembr. cursoriam praelectionem in auditorio Petrino super *l. 8. C. d. Quaest.* habuerit, tuitusque die sequenti, me certamen moderante, fuerit dissertationem inauguralem: *de Modo torturae secundum leges habendo*, a semet ipso conscriptam, ei tribuet venerabilis Collegii nostri Senior, Dn. D. TRAVGOTT THOMASIVS, dominus hereditarius in Abbanauendorfio. Hoc enim iure ex potestate sibi a me concessa utetur.

Ego vero RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, NOSTROS denique CIVES rogo
 obser.

obseruanter, velint haec solennia praesentes ornare. Quod
si precibus meis tribueritis, erit, de quo ICtorum ordo mecum
sibi gratuletur, et quod vicissim demereri studeamus. Dab.
d. XX. Sept. A. C. MDCCLXXII.



L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

XV

Optimus, venit hac diebus praesens officii
Et proventus tribuitur, et de qua Librum ordo necum
In quibus et quod vultis dandi ad hoc
DE RE PUBLICA LIBER XXII



LIBRARIUS

BY OFFICINA LANGENHEIMIA

18. 1. 1989

Ins. 167

